A Roma exuta regum servitio, primùm instituti, Præsidebant Prætores. *Scalig. l. 1. Poet. c. 29.* De iis Herodianus in Commodo ita scribit: Veris initio, statoque solemnique die, pompam Martî deum Romani celebrabant; in ea quæ apud quemque sunt divitiarum præcipua, supellexque pleraque imperatoria materiæ aut artis spectandæ, præferri ante deam solent, passimque omnibus ludendi licentia permissa, sic ut personas induant, quas cuique libitum, nullamque non magistratuum quoque imaginem, prout cujusque studium, repræsentet, ita ut non temerè à falsis veros dignoscas.

Apollini.

Secundi Græcorum ludi erant Pythii, in Apollinis honorem, apud Delphos in Phocide, ubi templum Apollinis erat, celebrati. Scripsit *Paus. in Corinth.* Diomedem à Troja reduntem, cùm effugisset tempestatem, Græcis ab illo redeuntibus immissam, apud Trœzenios templum Apollinis Incensoris dicavisse, & Pythios ludos in ejus honorem instituisse. Latona ex Eubœæ Chalcide Apollinem Dianamque reportabat Delphos. Ad Pythonis speluncam admotis vestigiis, ab eo improviso penè oppressî, nisi puello mater animos addidisset, ut sagittis quas habebat, pestem illam occuparet. Acclamatio fuit, ἰὸ παῖ, ἰὸ παῖ. Unde nomen ei factum ajunt certis syllabis additis παιὰν, παιὼν, παιήων. Narrant etiam lapidem à Latona intentatum. Alii dicunt Apollini porrectum, antequam animadvertisset illum cum telis esse. Eum posteà lapidem in Delphis repositum sub æneî Latonę signi pedibus. Strabo ex Ephori historia Pythonem latronem fuisse tradit, qui insessis itineribus, infestam faceret provinciam: quapropter Draconis cognomen inditum à maleficio. Tanta peste soluti Delphi, pro recepta libertate ludos quasi beneficiarios celebrandos curavere. Quos ludos auctis posteà rebus auctos ab Amphictionibus sub Eurylocho Thessalo, addito equestri simul atque gymnico certamine. Introducti quoque tibicines cum citharœdis, item citharistæ sine cantu: quorum modos appellarunt νόμους, *teste Strab. l. 9.* Extat & altera fabula. In faciem versus coturnicis Jupiter Latonæ vitium obtulit, in ea terræ Atticæ parte, quam ζωστῆραν nominabant. Parturiens Latona undique ab Junone exacta, in Delum insulam recepta est, quam prisci Ortigiam vocabant. Ibi editis gemellis, Apolline ac Diana, substitit mater. Diana in Cretam transmisit, Dictynumque montem coluit. In Lyciam sese contulit Apollo. Inde à Pane divinationem cùm didicisset, in eum oraculi ingressus est locum, ubi Nox olim, deinde Themis responsa dederant. Quo tempore occiso Pythone tripodis custode, oraculum suum fecit. Cujus corio obducto ejusdem operà tripos, inde etiam Cortyna fuit appellatus. Ex eo certamen septimo quoque die constitutum, ille Pythicum appellavit. *Scalig. l. 1. Poet. c. 23.* Mos fuit, ut pulchrior ex omnibus hymnis, qui offerrentur, in honorem Apollinis caneretur. Posteà verò cantus ad citharam fuit institutus, & aulædorum atque tibicinum certamina, & præmia ab Amphictionibus de medio sublata, & coronarium duntaxat fuit propositum: & quadrigis exceptis, omnia, quæ in Olympicis aderant athletarum studia, in hæc recepta certamina. Deinde paulò post repudiata fuit ars aulædorum, & his ludis excluſa, quia injucundum quiddam & triste præferrent, cùm elegi funebresque lamentationes tibiis convenirent. Mox additus est equorum cursus, & armatorum, sive bigæ introductæ, tandem & puellorum cursus. *N. Com. l. 4. c. 10.* Consule Pausaniæ Phocica. Victores corona laurea donabantur, maximis baccis pomorum instat, atque è viridi rubentibus gravida, quæ μῆλα dicebantur. *Lucian. in l. de Gymnasiis*, μῆλα τὰ ἱερὰν τῆς Δηλιάδος, Pythionicæ præmium fuisse censet. *Brod. in Epigr.*

Bello Punico ludi Apollinares victoriæ causa instituti sunt à Rom. ex libris Sibyllinis, suadente Corn. Ruffo Decemviro, qui propterea Sibylla, & posteà Sylla dictus fuit. Fertur autem, in carminibus Martii vatis, cujus duo volumina illata sunt ad Senatum, inventum esse scriptum: Hostem Romani, si ex agro pellere vultis, Vomicamque, quæ gentium venit longè, Apollini censeo vovendos ludos. Qui quotannis communiter Apollini fiant. His ludis faciendis præsit is prætor, qui jus populo plebique dabit summum. Decemviri Græco ritu hostiis sacra faciant. Hoc si rectè facietis, gaudebitis semper, fietque Respub. melior. Nam is divus extinguit perduelles vestros, qui vestros campos pascunt placidè. Ex hoc carmine cùm procurandi gratia dies unus rebus divinis impensus esset: posteà Senatusconsultum factum, uti Decemviri (quò magis instruerentur de ludis Apollini agendis, reque divina rectè facienda) libros Sibyllinos adirent. In quibus cùm eadem reperta nuntiatum esset, censuerunt patres Apollini ludos vovendos faciendosque: inque eam rem XIIM. æris Prætori, & duas hostias majores dari, Decemque viris præceptum est, ut Græco ritu hisce hostiis sacrum facerent: Apollini, bove aurato & capris duabus albis auratis: Latonæ, bove fœmina aurata. Ludos in circo populus coronatus spectare jussus. Hæc præcipuè traditur origo ludorum Apollinarium. Narratur & illud: Cùm hi ludi primò Romæ celebrarentur, repentino hostis adventu plebs ad arma excitata hosti occurrit: eoque tempore nubes sagittarum in adversos visa ferri, & hostem fugavit, & victores Romanos ad spectacula dei sospitalis reduxit. Hinc intelligitur, prælii causa, non pestilentiæ ludos institutos. *Macrob. l. 1. c. 17. & Liv. Dec. 3. l. 5.*

Apollinares, & Liberales, qui verè Scenici dicti sunt à fabulis, quæ in scenis, hoc est, frondeis tabernaculis edebantur, cujusmodi fuerint, prætoris verba docent: Ludis publicis, quòd sine curriculo, & sine corporis certamine fiant, populares lętitiam cantu, & fidibus, & tibiis moderanto, eaque cum divino honore injungunto. Hos actos à nudis Ludionibus aliquando constat. Quare & Martialis jocus de sibula & subligaribus. Itaque P. Nasica censor Ludiones amovit tribu, propter sordidioris operę contemptum. Fuere autem primùm editi L. Sulpitio Pœno, C. Licinio Coss. in graviss. pestilentiæ remedium novo cultu religionis introducto (*uti Val. l. 3. c. 1. docet*) accitis ex Hetruria ludionibus, qui ad tibiæ sonos motus ederent compositos. Hos imitati è Romanis quidam, Histriones Thusco vocabulo dicti sunt. Sic enim appellabant, quos Æolenses Ludiastas, alii Ludiones. Addita deinde carmina Satyrica, quę Livius Andronicus primus comico argumento interpolata, non solùm excoluit, verùmetiam recitavit. Quem morem Græcorum fuisse *ait Arist. in 3. Rhet.* Postremò obleta frequentioribus operis voce, puerum, qui ad tibiam caneret, præ se statuisse ajunt. Hi cùm fuissent per incuriam intermissi, ac gravi cœlo civitas laboraret, ex Sibyllinis versibus Punico bello secundo redintegrati cum jocis & saltationibus ac missilibus. Olei quoque congios singulos vicatim distributos prodidere. Peculiarem suffitum Stiracem incensum hisce ludis memorant. *Scalig. l. 1. Poet. cap. 30. & Sab. l. 3. Enn. 4.*

Cereri.

Cereales cum Circensibus quidam temerè confudere. Nam tametsi fiebant in Circo, tamen hi Cereri, illi Neptuno desgnabantur, ex Eleusine ducto à Græcis more, ut est apud Theocritum. Pompa producebatur cum deorum signis, & ovo. Isidis quoque sacra nocturnis vigiliis imitabantur, expressa Cereris peregrinatione Liberam cum face quærentis. Ab solis matronis fiebant Cereales candidatis: qui color vetus in luctu matronis fuit. Ante noctem in sacris epulari nefas: propterea quòd, ut ait Callimachus, extrema affectam fame, ac nihilo seciùs pertinaciùs jejunium perpetuantem, solus vesper flexit, persuasitque uti cibum caperet. Cùm Thensa procederet, si auriga equi lorum lęva manu apprehendisset, pro pollutis cæremoniæ habebantur. Fuit autem, ut ait Servius, Thensa currus, quo deorum simulachra portabantur, ἀπὸ τοῦ θεῖν. *Scal. l. 1. Poet. c. 32.* Cereales ludos longè ante Memmium factos fuisse, testis est Livius, nempè 16. anno secundo belli Punici, ex H. S. C. à dictatore Cn. Servilio Gemino, & magistro equitum Ælio Pæto. *L. Vives in l. 7. Aug. de Civit. Dei c. 2.*

Minervæ.

Apud Tegeates è templo Minervæ Alææ non longiùs, quàm stadium unum, abest terræ agger, ad quem ludos faciunt, Alæa de Minervæ nomine, & Ilotia, ex eo quòd in pugna vivos è Lacedæmoniis multos ceperant. *Pausan. in Arcad.*

Neptuno, Palæmoni.

Tertii ludi Græcorum sacri, dicti Isthmii, ab Isthmo Achajæ. Musæus in lib. de Isthmiis, duo certaminum genera celebrari solita in Isthmo scripsit, alterum in honorem Neptuni, alterum in Melicertæ: quòd etiam ait *Apoll. l. 3.* Theseus, teste Plutarcho, ludos Herculis imitatione primus statuit, ut sicut in illius memoriam Jovi Olympia, ita Isthmia Neptuno Græci agerent. Quod enim ludicrum in Melicertes honorem conceptum nocte illic peragebatur, initia potiùs quàm spectaculum & celebritas publica censebatur. Sunt tamen qui dicant, Scironi Isthmia dicata, quò ob propinquitatem expiaret illius cædem Theseus: Scironem enim filium Canethi fuisse & Henioches Pithei filiæ. Ino & Athamas duos liberos habuere, Learchum & Melicertam. Learchum Athamas Junonis opera in furorem actus interfecit, quem eadem auctore pari morbo affecta mater in lebetem ferventis aquæ plenum immersit. Melicerta, cùm per Geraneæam Megaræ montem fugiens ad rupem, quæ Moluris dicebatur, pervenisset, de ea se in mare præcipitem dedit. Quem secuta mater simili fato perfuncta est. Alii tradunt, matrem surrepto ex illo periculo Melicerta, cum eo sese præcipitasse. Ex hoc Nereides matrem fecere divam, Leucotheam Græci, Latini Matutam vocant: Melicertam divum, Palæmonem illi, nos Portumnum, sive Portunum, clavem dextra gestantem, quoniam portus ab hostibus tueretur, cui infans mactari solebat, & in Tenedo præcipuè colebatur. *N. Com. l. 7. c. 9. & l. 8. c. 4. Mythol.* Eædem Nereides Sisiphum monuere, ut in honorem Melicertæ ludi statuerentur. Pausanias in Atticis etiam fabulosiùs, à Delphino delatum cadaver ait: atque ab Sisipho, qui tum Corinthi regnum obtinebat, inventum, tum propter affinitatem datum sepulturæ, & Moluridem petram illi consecratam, & Isthmicos ludos institutos: quippè Sisiphus & Athamas ex Ælo geniti. Cæterùm verò propiora tradunt, qui Melicertæ cadaver fluctibus appulsum scribunt ad Isthmi locum, cui ab juncis nomen erat σχοινῶτια. Peste eò correptam Corinthum, oraculo monitam haud priùs cessaturum malum, quàm Melicertæ justa persolverentur, ac præterea ludi fierent. Igitur Amphimachi & Dosiacini opera cadavere translato, cùm celebritatis initium pestilentiæ fuisset finis, paucis annis festivitate celebrata ac desita: cursus ab nomine cessationis postulati, ac pestilentia oppressi, ex oraculi præceptis morem intermissum redintegrarunt. Pinu autem Isthmionica fuisse narrant coronatos, propterea quòd Melicertæ cadaver pineis obvolutum surculis inventum est. Alii dicunt Neptuno sacram pinum: unde Phythalmii cognomen attributum autumant, idcircò quia pinus, picea, abies maritimæ rei plurimùm conveniant. *Strabo l. 8.* Neptuni Isthmii templum luco picearum circundatum scribit. Tænæus scriptum reliquit, apio anteà coronati solitos victores, idque Corinthiorum judicio. Eadem historiæ ratio ex Procle, Callimacho, Euphotione. *Scalig. l. 1. Poet. c. 26.* In Isthmo primùm victores coronam è pinu meruisse, deinde ex apio, posteà verò in pristinum honoris locum coronam pineam esse restitutam, in Symposiacis narrat Plutarchus. Pindari verò Scoliastes non ex apio acido victoribus coronam adscribit, cui Apollonii Argonauticon enarrator assentitur: neque tamen ille, quin aliquando coronam pineam adepti sint, contendit. Solinus hujusmodi spectaculum per Cypselum, qui teste *Herod. in l. 1.* Periandri Corinthiorum regis pater fuit, intermissum, Corinthios Olympiade 49. solemnitati pristinæ reddidisse scribit. Hi ludi triennales fuere, teste Pindaro commentatore. *Solin. c. 13.* quinquennales arbitratur.

Romulum urbis conditorem, pace cum finitimis parta, Neptuno Equestri sextili mense solemnes feciſse ludos, Consualiaque appellasse, in quibus Sabinas rapuit, auctores memorant. Fuit enim Consensus consilii Deus, cujus ara in Circo maximo undique aggesta hamo abdita erat, quod arcanum esse consilium putarunt; quam aram, cùm ludos celebrarent, omnibus adire fas erat, reliquo anni tempore non licebat: in qua Romani sacrificiis igneis aliisque solemnibus festos agere dies assueverant, quæ feriæ Publicæ dictæ sunt, in quibus sacris victima erat mulus, quoniam id genus quadrupedum primùm vehiculo junctum fuisse credunt, eò quòd Lunæ vehiculum traherent, equosque & asinos coronis sertisque exornare, & feriari, neque illos labori admittere mos erat, quòd instituta navigatione, quum omnium generum merces navibus advehantur, otium quodammodo jumentis, & remissio data sit: vel quòd equos primùm Neptunus docuerat, & equitandi artem invenerat, quare Hippius dicebatur. *Alex.*

Marti.

Equitia, ludi in honorem Martis à Romulo instituti, quos ab equorum cursu Equitia nuncupavit. *Alex. l. 6. c. 9.*

Bacho.

Dionysia fiebant Athenis in honorem Bacchi, ubi maxima bibendi licentia permittebatur. His intererant populus & athletæ passim coronati. *Alex. l. 6. c. 19.*

Theatrales tametsi Græcorum imitatione, qui Athenis Dionysia celebrarent, in honorem Liberi patris, sicut & Scenici, conditi sunt: alius tamen erat habitus, alia facies. Nam privatis sumptibus fiebant in populi gratiam ab iis, qui illius favore magistratum adepti essent. In his fabulæ nullæ, sed lusus tantùm Heroum ac Nympharum habitu, ad tibiæ modulos. Saltantes Mænadas, & Sillonas, Satyrosque ac Tityros effingebant, cum vanno, vivo, ovo, & bellariis discurrentes, more Lupercalium, ferulis obvium quemque incessentes. *Scalig. l. 1. Poet. c. 30.*

Herculi.

Agon, qui propriè sacer cognominabatur, iis diis, qui aliquid miraculi ostendissent, à Græcis dicatur: unde fortasse certamina martyrum suorum primi Christiani Agonas appellarunt. Celebrabantur autem in honorem Herculis: unde Agon Heracleos, & Heracleoticus nuncupabatur. In quo cantu certabant, judicibus constitutis, qui Agonothetæ vocabantur.

In Leontino agro Olympicos ludos Herculi institutos memorant, qui si intermitterentur, sacerdotes muti fierent: si sacra repeterent, liberarentur à morbo. *Diod. Sicul.*

Archemoro.

Quarti Græcorum sunt ludi Nemei, à Nemea Argivorum regione & sylva inter Philiuntem & Cleonas civitates. Ea in terra, Thebas Argivi cùm peterent, siti fatigatus exercitus Hypsipylem habuit obviam Lemni reginam, gestantem Opheltem puellum, Eurydice & Lycurgo satum, qui flamen Dialis erat. Hypsipyles indicio inventis aquis, dum solvunt ad fontem sitim, relictum ab ea in pratis infantem draco necat. Illi reversi belluam interficiunt, & certamen indicunt funebre triennale. Ophelten autem fatali nomine appellavit Archemoron vates Amphiaraus: concepto ac designato tam infelicibus auspiciis exitio futuro. Nam ἀρχὴ principium, μόρος mortem significat. Æschylus putavit, Archemorum fuisse Nemeæ filium, qui hunc ad modum vita functus sit, certamenque illud Thebano bello fuisse longè vetustius. Certamini præsidebant Corinthii, Argivi, & Clenoæi. Per initia ex olea coronam factam tradunt, datamque ad Medici belli usque tempora. Deinde oleam cum apio viridi commutatam: quem fruticem infelicem putarent funeribus convenire, in honorem eorum, qui Medico bello occubuerant. Idcircò judices pullati sedebant stolis circumamicti phæis. *Scalig. l. 1. Poet. c. 25. Strabo lib. 8. Polyb. l. 2. Cal. l. 23. c. 8. A. L.* Quidam ab Hercule aut à Molorcho, cujus filius à leone Nemæo interfectus fuerat, originem habuisse docent. Non defuerunt, qui in honorem Archemori primùm instituta fuisse dixerint Nemea, at ab Hercule in melius correcta, cùm leonem Nemeum occidisset, qui illa posteà Jovi consecravit, & post triennium tempus peragendis statuit diem duodecimum ejus mensis, qui παρὰ τοῖς à Corinthiis, ab Athenienſibus autem ἑκατομβαιὼν dicebatur, quia eo mense Theseus Amazonas debellavit. Cretenses demùm judices sunt electi. *N. Com. Mythol. l. 5. c. 3.* In illis majorum imagines, sicuti in funebri pompa, longo ordine repræsentante, atque equorum cursu, simul disco, cæstu & palæstra dimicate solebant.

Laribus.

Compitalitii ludi Laribus instituti sunt à Romulo Rege. Cùm enim Prisco Tarquinio regnante, in foco genitale repentè apparuisset, eo in sinum admoto, mater Servii Tullii Ocresses, stupens miraculo, haud multò post Servium Tullium enixa peperit, qui ubi regno successit, Laris filius creditus est. Inde Compitalitii ludi primùm originem duxerunt, qui per vicorum magistros fieri, & in compitis celebrari solebant. Quidam existimant, primùm ab Athenienſibus inventos esse, in quibus hircus victori offerri consueverat. *Alex. l. 6. c. 19.*

Inferis, Manibus.

Diis inferis consecrati Taurii nominati sunt, seu Taurilia, sub Tarquinio Superbo, haud multò ante Magalenses. Cognominis causam referunt ad taurinæ carnis usum: quo gravidas morbis affectas, ac ludis factis liberatas ajunt. In his nihilo seciùs atque in Circensibus obibant cursu metas. *Scalig. l. 1. Poet. c. 33.* Apud portam Tergeminam quotannis celebrantur, priùs in Circo Flaminio, teste Festo & Varrone. *Polyd. l. 4. de rer. invent.*

Artemysia Cariæ regina, cùm incredibili desiderio Mausoli mariti defuncti teneretur, molita est mariti memoriæ causa sepulchrum inter septem orbis terrarum spectacula connumeratum. Id monumentum cùm diis manibus dicaret,

A ret, agona, hoc est, certamen laudibus ejus dicendis fecit, præmiaque & pecuniæ, & aliarum rerum proposuit. Ad eas laudes decantandas venit primùm omnium Theopompus, Theodectes, Naucratites & Isocrates: sed vicit Theopompus Isocratis discipulus. Extare & vidisse se Gellius testatur, Theodectis tragœdiam, quæ inscribitur Maufolus: in qua eum magis, quàm in prosa, placuisse, Hyginus in exemplis refert.

Augustales ludos Tiberii tempore tribuni plebis in Augusti honorem instituerunt. *Alex. l. 6. c. 19.*

A Quibus Culti.

Sic dantur ludi Græcorum.

De quatuor Græciæ sacris certaminibus, in honorem deorum diversis in locis Græciæ institutis, sic scribit *Archias in 1. Epigr.*

Τέτταρές εἰσιν ἀγῶνες αἰ ἑλλάδι, τέτταρες ἱροὶ,
Οἱ δύο μὲ Ὀλυμπᾷ, οἱ δύο δ' ἀδμάτων·
Ζηνὸς, Ἀπολλάωνος, παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο.
Κἄσλα δ' ἅμ' ἱππίου, μῆλα σίλανα, πίτυς.

Quos sic convertit *Alciatus*:

B *Sacra per Argivas certamina quatuor urbes*
Sunt: duo fulva viris, & duo cœlitibus.
Ut Jovis, & Phœbi, Melicertæque, Archemorique
Præmia sunt, pinus, poma, apium, atque olea.

Athenienſium.

Ariſtoph. interpres in Ranis ſcribit, in tribus certaminibus ſolere veteres geſtare faces, id eſt, ut illi dicebant, λαμπαδηφορεῖν, in Prometheis, in Vulcanis, ſive Epheſiis, & Panathenaicis. Porrò Prometheus creditur primus hoc ludorum genus inſtituiſſe. Currentes facem ardentem geſtabant, eam defatigatus proximo in manum dabat: & item deſeſſus alii, ac deinceps alius alii, hiſtoriæ Prometheæ quaſi ſimulachrum repræſentantes, quemadmodùm ferulam, qua ignem cœleſtem exceperat, ne rurſus extingueretur, perpetuo motu jactarit, in terram devolans. Athenis in Academia Promethei ara eſt, à qua homines in orbem accenſas lampades præferentes decurrunt. In eo enim certamen eſt, ut accenſæ conſerventur. Cujus enim fax extincta fuerit, is victoria ſucceſſori cedit, eademque ratione ille tertio. Quòd ſi nulli ardentem perferre licitum fuerit, palma in medio re-C linquitur. *Pauſ. in Attic. & Herod.*

Marathonia, ob taurum à Theſeo interfectum: Argentea phiala præmium erat.

Æginetarum.

Æcea, in Æci regis memoriam in Ægina celebrabantur.

Thebanorum.

Heraceæ & Jolææ Thebo Bœotiis celebrari ſolita.

Romanorum.

Romani ludi & Magni ludi, à Livio nunc Circenſes, nunc Plebeji dicuntur. Dionyſius eos ab A. Poſthumio Latino bello votos auctor eſt. Ludorum pompa ex Capitolio per forum in Circum maximum mittebatur. Rerum apparatus talis fuiſſe traditur. Equitum filii, quibus ætas apta eſſet pompæ, equis ſedentes, quique pedibus ſtipendia facturi erant, ſuis alis centuriiſque diſcreti præcedebant, ut exteris gentibus oſtenderetur, qualis quantaque juventutis indoles in ſpem civitatis interim ſuboleſceret. Hos aurigæ ſequebantur, quadrigæ, bigæque, & equi deſultorii. Mox athletæ leviorum graviumque certaminum, pudenda tantùm velati, cæterum corpus nudi, curſu, palæſtra, cæſtibus D certatur. Saltatorum deinceps chori, virorum primus, alter pubeſcere incipientium, poſtremus puerorum. Ordine deinde tibicines ſubſequi, utres & tibiolas inflantes, citharœdique lyras ſepticordes eburneas, & quæ barbita nuncupata ſunt, habentes. Saltatorum cultus, tunicæ puniceæ cingulis æreis ſtrictæ, enſes lateribus pendentes. Tela breviora viris. Galeæ æreæ, criſtis inſignes, vennisque excultæ. Præibant choris viri ſinguli, ſaltationis, & tripudii modum præmoniſtrantes, bellicos motus atque vehementes proceleumaticis & rhythmis imitantes. Enopolia ſaltatio in his uſurpata, quæ & Pyrrhica nuncupata eſt, à Pallade, ut creditur, reperta. Alii Curetes ejus ſaltationis auctores arbitrati ſunt. Enoplios choros, Satyriſcorum cœtus è veſtigio ſequebatur. Erant hi in Silenos & Satyros figurati, cavillabundo motu ridicula in magnis imitantes. Atque hunc demùm ordinem tibicines alii & citharœdi, vario ſequebantur conventu. Ibant inde, qui paſſim thura & atomata thuribulis adolebant, multaque odorum fragantia. Deorum ſimulachra auro argentoque cælata, virorum humeris ferebantur. Tum demùm Theſeus, ſummi urbis magiſtratus, magna omnium ordinum caterva religioſè ſequebantur. E *Sab. l. 9. Enn. 2.* Circenſes appellabantur, quaſi circum enſes: nam teſte *Servio ſup. 3. Georg.* quum rudis vetuſtas nondum loca hujuſcemodi ludis apta ædificaſſet, inter enſes & flumina eos celebrabat, ut ab utraque parte eſſet ignavis præſens periculum. Exin Circus, id eſt locus muris ſeptus, ab ipſis Circenſibus denominatus, in quo ludi fiebant, ædificatus eſt. Equi curriculis juncti, è carceribus emiſſi, cùm ad ſummum deveniſſent, revolvebantur, donec ad priorem metam rediiſſent. Solemnes deinde manſere hujuſmodi ludi. Unde Praſinæ & Venetæ factiones à colore viridi, & cæruleo. Edebantur præterea venationes. *Polyd. l. 2. c. 14. de rer. invent.*

Quales. Ludi

Abſque cæde.

☞ *Tales plerique. Exempla è precedentibus.*

Cum cæde.

☞ *Vide infrà, Funeris cauſa Gladiatorii.*

Qua Occasione Instituti. Puta, Causa Voti.

Votivi ludi, aut Sibyllinis verſibus, aut Augurum præceF ptionibus, aut promiſſis Imperatorum introducebantur: vel ante bellum, vel confecto bello, atque hoſtibus devictis. Ex iis illi fuere, quos Magnos cognominarunt. M. Acilius in apparatu adverſus Antiochum eos celebravit diebus decem, miſſis muneribus per pulvinaria: non tum tamen primùm votos, ſed poſtquam ad Thraſymenum pugnatum eſt. Facti ſunt æris CCCXXXIII. millibus, bobus albis quadringentis, aliiſque hoſtiis multis procurati. Sic etiam bello Samnitico debellato eos populum ſpectaſſe coronatum. M. Craſſus in ſua ædilitate coronas frondeas aureis bracteolis imitatus populo dono dedit. Ludis magnis Græco ritu victoribus palmæ datæ: itemque populo epulum ab ædilibus. *Scalig. l. 1. Poet. c. 36.*

Peſtilentiæ.

L. Sulpitio Boetico, C. Licinio Stolono Coſſ. intoleranda vis ortæ peſtilentiæ civitatem Romanam à bellicoſis operibus revocatam domeſtici atque inteſtini mali cura afflixerat. Jamque plus in exquiſito, & novo cultu religionis, quàm in ullo humano conſilio poſitum opus videbatur. Ita- G que placandi cœleſtis Numinis gratia compoſitis carminibus vacuas aures præbuit, ad id tempus Circenſi ſpectaculo contenta, quòd primus Romulus, raptis virginibus Sabinis, Conſualium nomine celebravit. Et hæc origo eſt ludorum Apollinarium & Scenicorum. Verùm ut eſt mos hominum, parvula initia pertinaci ſtudio proſequendi, venerabilibus erga deos obſequiis juventus rudi atque incompoſito motu corporum jocabunda geſtus dedit: eaque res Ludium ex Hetruria accerſendi cauſam præbuit, cujus decora pernicitas vetuſto ex more Curetum, Lydorumque, è quibus Hetruſci originem traxerunt, novitate grata Romanorum oculos permulſit: & quia Ludius apud eos Hiſtrio appellabatur, ſcenico nomen hiſtrionis inditum eſt. Paulatim deinde ludicra ars ad Satyrarum modos perrexit, à quibus primus omnium poeta Livius, ad fabularum argumenta ſpectantium oculos & animos tranſtulit. Iſque ſui operis actor, cùm ſæpiùs à populo revocatus vocem obtudiſſet, adhibito pueri & tibicinis concentu, geſticulationem tacitus peregit. Attellani autem ab Oſcis acciti ſunt, quod genus delectationis Italica ſeveritate temperatum, ideòque vacuum H nota eſt: nam neque tribu movetur, neque à militaribus ſtipendiis repellitur. *Val. l. 3. c. 1.*

Funeris, Funebres.

Funebrium origo longè vetuſtiſſima: quippè Æneas ad Pallantis, Achilles ante eum ad Patrocli rogum mactavit inferias cum ludis. Iidemque Gladiatorii: nam quum primùm captos ex hoſtibus jugularent, vitantes fœdi ſpectaculi crudelitatem, captivos inter ſe commiſerunt, ut penes eoſdem eſſet & facinus & ſupplicium: quibuſque ſors & virtus dediſſet, ſupereſſent, alii placarent manes puris manibus parentantium. *Scalig.* Pyrrhus ſuper buſtum Achillis, inſpectante Græcorum exercitu, ei parentans, Polyxenam jugulavit. Zetzes in Lycophrontem. *Q. Calaber lib. 14.* Id morientem Achillem juſſiſſe narrat Servius. Primus Romanorum Junius Brutus dicitur in defuncti patris honorem dediſſe Romæ gladiatores. Alii Appium Claudium, & M. Fulvium Coſſ. An id verum ſit, ambi-

A ambigo. Tunc enim primùm fuere ſontes objecti feris in arena, tanta immanitate, ut ab eo horrore matronæ publico edicto ſummotæ ſint. Dabantur & à publicis magiſtratibus, & à privatis perſonis, & cum certaminibus, & cum fabulis. In patrii funeris apparatu arenam inſperſiſſe ajunt C. Cæſarem, quum ædilis eſſet, quì poſteà dictator fuit. Claudius princeps ex arbitris ſtatos fecit ludos funebres, quos ædiles ederent, ex pecunia publica de Quæſtoribus, quos Gladiatorios appellavit. Verùm poſteà illorum pertæſus immanitatem ſuſtulit. Privatis tamen conſuetudinis manſit jus. Cæterùm cùm ea profuſione ad inopiam multi redacti eſſent, jam antèa ſub Tiberio S. C. factum fuerat, ut nemini id liceret, qui minùs quadringentis millibus in cenſu haberet; nam & emptis opus erat, & educatis: ex productis quoque in arenam aliis cadebant, alii petente populo manumittebantur. Gladiatorum quoque magiſtri, non ſine magno pretio, qui docerent eos, conducebantur, hos Laniſtas appellabant. Tandem à Theodorico Gothorum rege univerſus uſus ſublatus eſt. Propoſita paria, Laniſta indicabat, quanti jugulatorum pretia accipiebat. Cum haB ſtis ac rudibus prodibant: erat Rudis baculus gladiatorius, quo prima pugnæ rudimenta meditabantur, unde & nomen: ea manumiſſi propter fortitudinem ſimul cum libertate donabantur, propterea quòd ſine cruore deinceps eſſent acturi vitam. Certaminis initio, poſtquam inter ſe rudibus batuiſſent, ferro nudi tranſigebant. Feſſis, aut victis alia manus ſubſtituebatur. Declarat hoc Martialis verſus: *Hermes ſuppoſititius ſibiipſi*: cùm indefeſſus eſſet, atque invictus, ſibi ipſi ſuccedebat. Ludibrium infelicitatis humanæ Nero 400. Senatores, 600. Equites ad eam operam exhibuit. Alterum orbis monſtrum Domitianus etiam fœminarum pugnas nocturnas edidit. Qui funebres cutarent ludos, Deſignatores dictos autumant. Apud Horatium pro eo, qui præeſt funeri, interpretantur. *Scalig. l. 1. Poet. c. 25.*

Apud Rom. olim Imp. munere gladiatorio edito, votiſque pro victoria in Capitolio nuncupatis, ad bellum exibant. Sunt, qui eam velut devotionem quandam hoſtilis ſanguinis fuiſſe exiſtiment, ut ſi cruore dimicandum eſſet, Nemeſis, id eſt, quædam vis fortunæ urbano cruore placaretur. Alii perſuaſum habuerunt id majoribus inſtitutum, C ut tyronum oculi ad bellum proficiſcentium cruori & vulneribus aſſueſcerent. *Sab. l. 6. Enn. 7.* Romani, ſicuti ſcribit Nicolaus Damaſcenus, ut eſt apud Athenæum, non in theatris modò, & panegyri gladiatores exhibebant, morem à Tyrrhenis mutuati: ſed & in conviis, duobus aut etiam tribus productis paribus, quæ dicit ipſe ζεῦγα. Quin & teſtamento cavebant nonnulli, uti pulcherrimæ etiam puellæ decertarent, aut qui in deliciis fuiſſent impuberes: donec iniquitatem non ferens populus, id irritum habuit. *Cal. l. 11. c. 10. A. L.*

☞ *Vide ex profeſſo in Loco de Morte, Mortuorum cura.*

§. Ludi.

Libertatis adeptæ.

Plebeji ludi exactis regibus pro plebis libertate primùm Romæ dati, quos nonnulli poſt ſeceſſionem ad Sacrum montem inſtitutos ferunt, ob conſociatos patrum plebiſque animos: quos poſteà L. Sylla perdomitis hoſtibus magna plebis expectatione teſtituit, quorum ædiles plebis arbitri, & moderatores erant, in quorum celebritate ſervatum meminimus, ut quoties inſtaurarentur, ab his ludorum cauſa D epulum daretur. *Alex. ab Alex. l. 6. c. 19. & Scalig. l. 1. Poet. cap. 37.*

Urbi.

☞ *Sic Olympia, Pythia, Nemæa, Iſthmia.*

Quando. Celebrati Ludi Anno Quinto.

☞ *Sic Olympici & Iſthmici:*

Centeſimo.

Secularium pro incolumitate pop. Roman. celebratorum initium tale fuit, uti *Val. Max. l. 2. c. 1.* docet. Valeſius quidam vir locuples, tribus quos habebat, filiis peſtilentia laborantibus, dum ante focum ſuos penates orat, ut ſalvis pueris in ſuum caput id mali vertatur, ecce tibi vox repentè audita, filios ſalvos fore, ſi Terentum duxerit, ibique ex Ditis patris & Proſerpinæ ara petita aqua recreârit. Pater quamvis anxius, quòd longiùs ſibi eundum eſſet, (de Terento enim urbe ſuſpicabatur) tamen ex ſua villa ire pergit, alteraque nocte ad campum Martium per Tyberim delatus, quum in navi non eſſet ignis, jubetur à gubernatore ire Terentum ad locum proximum. Qui audito Terenti nomine, jam certò ſciens eò ſe perveniſſe, quò deorum vocaret oraE culum, aquam calefacit, darque bibendam pueris. Illi epota aqua, ſalutari quiete ſopiti, continuò omni morbo liberantur, vocatoque parenti narrant ſe à diis adjutos, admoniti ſque, ut eo loci mactatis furvis, id eſt, nigris hoſtiis, lectiſternia ac ludi nocturni ad aram Ditis, & Proſerpinæ fierent. Valeſius majorem in modum gaviſus incipit primo quoque die terram fodere, aræ erigendæ cauſa. Sed ibidem reperta ſub terra ara, Diti patri, & Proſerpinæ inſcripta, hoſtias mox immolat: tribuſque continuis noctibus, quia totidem filii morbo levati fuerant, lectiſternia atque ludos facit, aramque terra obruit, prout antè fuerat. Fiebant ad inſtar Cereris initio, cum carmine & hymnis, à pueris puelliſque patrimis, & matrimis, in Apollinis, ac Dianæ laudem, qualis extat hymnus Horatianus, & Catulli longè lepidiſſimus. Seculares dicebantur, quòd ſemel ſingulis agerentur ſeculis. Seculum porrò ſpatium eſt vitæ humanæ longiſſimum. Varii vario annorum numero deſcribunt, ut eſt apud Cenſorium. Romani centum annis, id- F que intervallum inter ludos ſeculares, ut *Vil. Antias, & Varro, & Livius l. 136.* Sed ex commentariis XV. virorum, & edicto Cæſaris Auguſti, carmineque Horatii ſeculari, decem anni huic numero adduntur, ut centeſimo quoque & decimo anno fiant. Tametſi carmen illud Horatii: Certus undenos decies per annos, non video, cur legi non poſſit: Certus, ut denos decies per annos: & ſic nonnulli legunt. Sed & aliud carmen à Zoſimo citatur Sibyllinum, in quo eſt εἰς ἔτεων ἑκατὸν δεκὰς κύκλον ἐδέξαν. Porrò præco cùm ad hos ludos convocabat, ad eos uti ludos venirent, dicebat, quos nemo ipſorum antea ſpectaſſet, nemo eſſet poſtmodùm ſpectaturus: hinc illa Vitellii aſſentatio Claudio ludos ſeculares exhibenti, Sæpè facias. Primus poſt Valeſium hos ludos P. Val. Poplicola, primuſque ex ea gente conſul fecit anno ab U.C. CCXLIV. ægrotantibus ſuccurrendi cauſa. Secundi facti ſunt, ex libris Sibyllinis anno ab U.C. DII. P. Claudio Pulchro, L. Junio Bruto Coſſ. XI. anno primi belli Punici. Tertii, primo anno tertii belli Punici, M. Manlio, Martio Cenſorino Coſſ. Quarti, non expectato juſto tempore, L. Æmilio Lepido, L. Aurelio Oreſte Coſſ. Quintos Auguſtus & Agrippa fecerunt, Furnio & Syllano Coſſ. arbitratu ſuo reductos ad æquum tempus. Sextos Clau- G dius Cæſar, non tam ludos ab Auguſti temporibus, quàm Auguſti errorem iteravit; neque enim ampliùs LXIII. annos interfuiſſe conſtat. Quarè præconis vocem irriſam Tranquillus ſcribit, invitantis populum ad eos ludos, quos nemo vidiſſet, neque viſurus eſſet: quum multi adhuc viverent eorum, qui priores ſpectarant; aliquot etiam hiſtriones, qui in illis egerant, in his producerentur. Septimos Domitianus, inita meliùs temporis ratione, ſeculo ab urbe condita ſeptimo celebravit. Octavos juſto tempore Septimius Severus, Chilone & Vibone Coſſ. Nonos Philippus Imp. anno poſt urbem conditam milleſimo, in quibus fuerunt elephanti 30. alces 10. tygres 10. leones manſueti 40. leopardi manſueti 30. hyenæ 10. gladiatorum fiſcalium paria mille: hippopotamus quoque, rhinoceros, arcoleontes, camelopardi, onagri & equi feri. *Hæc ex Varrone, Valerio, Horatio, L. Floro, Feſto, Zoſimo, Herodiano, Suetonio, Capitolino, Cenſorino, Caſſiodoro, Porphyriane, Acrone, Scalig. l. 1. Poet. c. 38. & L. Vives l. 3. de Civit. Dei, cap. 18.*

LUDI RELIGIOSI SECUNDUM PARTES H conſiderati. Quoad

Materiam. Nempe Quoad Perſonas.

☞ *Huc pertinent Perſonarum Mores, Habitus, Patria, Ætas, Sexus, & ſimilia alia.*

Res. Ut eſt

Genus ludi.

In Iſthmiorum ludicro præcipuè tria edebantur, jaculorum certamen, curſus, pugna, ac muſicorum poetarumque congreſſus. *Simonides:*

Γᾶμια δ' Πυθοῖ Διοφῶν ὁ Φίλωνος οἶκα,
Κλῆμα, ποδωκείῳ, δίσκον, ἄκοντα, πάλᾳ. hoc eſt,
Iſthmia Philonis Diophon & Pythia vicit,
Et curſu, & jaculo, ſaltibus, orbe, pale.

Et Pindari interpres:

Κλῆμα ποδὸς, δίσκωτε βολὴ, δ' ἄκοντος ἅρμα,
Καὶ δρόμου, ἢ ὃ πάλαι, μία δ' ἔπλετο πᾶσι τυλάτη.
Cum diſci jactu, ſaltus pedis, impetus haſtæ,
Atque pale, & curſu, ſtudium fuit omnibus unum.

Pauſ.

A *Paus. de ludis Olympicis* sic ait: Duo certandi equis genera, Synotides & Celetes. Synotis erat biga à duobus equis: Celes singulari equo currebat. Accesserunt & alia duo, κέλητα καὶ ἄπηνα, quæ posteà decreto Eleorum antiquata sunt. Calpe certabat equabus, ita ut cursum extremum assessores ipsi desiliendo apprehensis manu habenis perficerent. Deinde maribus utebantur equis. Apene mulas jungebat: quod animal execrabile habebant, nec in terra illa nasci poterat, cùm circa vel frequens earum fœtura esset.

Præmium, Corona.

☞ *Quæ singulorum fuerint præmia, vide alibi.*

MOTUM. TUM

Ante Ludos. Cujusmodi est,

Invitatio ad ludos.

Fuerunt ludi Seculares, ut Festus attestatur, in honorem Apollinis & Dianæ instituti centesimo quoque anno, clamante præcone: Venite ad ludos, quos nemo mortalium vidit, neque visurus est: nam seculum C. continet annos. *Capitolinus.*

Exercitatio athletarum.

B Certaturi ante omnia per aliquot dies sese exercebant majore, quàm posteà, labore: verbi gratia, cursu certaturi, in arena cum ocreis per aliquot dies currebant: ut posteà soluti, tanquam compedibus liberati, majorem obirent operam. Item saltu certaturi, manibus ponderibus oneratis assuescebant. Præterea carne vescebantur bubula, quæ fortiores redderet: abstinebant à coitu. *Philost. de Athletis.*

In Ludis. Consideratur

Pompa Ludorum.

Plut. in com. de Divit. studio, & de Osiride, ostendit, hanc fuisse priscorum in ludis solemnibus pompam, ut primo loco duceretur amphora vini, & clematis, id est fabæ genus: post aliquis hircum trahebat: deinde nucum sportulam gestabat alius: postremo loco Phallus ferebatur, hoc est, effigies obscœni membri virilis.

Olim inquilini, & hospites Athenis ludis Popularibus in pompa incedebant, navim gestantes: unde quoties hospitem, non civem significabant, σκάφιον ἢ σκαφηφόρον appellare consueverant. Proinde vulgò sic minitabantur, ποιήσω σὲ συμμέτρον σκάφης, id est, Reddam tibi os occlu-C sius scapha. Etenim iis, qui in Rep. vivunt non sua, multa sunt mussitanda. Nam uti non convenit in aliena civitate curiosum esse, ita nec tutum est liberioris esse linguæ. *Eras. in adag.*

Rom. olim velabant loca, qua veheretur pompa sacrorum. Causam tradit Verrius Flaccus apud *Macrob. l. 1. Saturn. c. 6.* qui scribit, quum P. R. pestilentia laboraret, essetque responsum id accidere, quòd dii despicerentur: anxiam urbem fuisse, quia non intelligeretur oraculum, evenisseque, ut Circensium die puer de cœnaculo pompam superne despexerit, & matri narrarit, quo ordine arcana pilenti, quo & vehiculi genus est, composita vidisset. Qua re Senatui nunciata, tunc placuit loca velis contegi, qua pompa sequeretur. Ac ita ex illo peste fedata, puer, qui ambiguitatem sortis absolverat, prætextæ gestandæ munus impetravit. Ambiguitas autem oraculi fuit in verbo, Despicerentur: nam interpretabantur, deos & cæremonias negligi: quum tamen oraculum intelligi vellet, deos deorsum versus aspici, quod nefas erat, & ad pollutionem sacrorum pertinebat. *Polyd. l. 6. c. 11. de rer. invent.*

D *Sortitio Athletarum.*

Lucianus in dialogo, qui Etorinus, sive de Dilectione inscribitur, monstrat, quonam modo sortes athletis obveniebant, quomodove partes ad certamen jungebantur. Verba ipsa hæc sunt: Urna argentea sacra Apollini in medio aderat, ubi sortes inscriptæ erant magnitudine fabæ: hi c in duabus A. scribebatur, in duabus B. in duabus C. & sic deinceps. Veniebant certaturi, Jovi voventes, ut idoneum, & facilè comparem sortirentur: deinde suam quisque educebat literam. Minister dei ibi assistens, antequam legerentur, sortes accipiebat: deinde eos conferebat ad ludum, ut illi quibus A, utrisque evenerat, simul pugnarent: & sic de aliis. Si autem fortè impar numerus erat, illius, qui sine socio remanebat, (quem ἔρεμνον, quasi insultorem & inscensorem dixere) litera commiscebatur cum aliis comparibus: ut qui sibi fortè evenisset, expectaret, ut ille priùs cum compare suo pugnaret; posteà ipse consurgens, cum eo certaret. Magnaque athletæ hæc felicitas judicabatur, & victoriæ certa pollicitatio, ut integer viribus congrederetur cum jam lasso ac fesso.

Agon, Congressio Athletarum. E

PAUSANIAS scribit, Dioreum athletam aconiti, id est, sine pulvere & labore Pythia vicisse: Heraclidem verò apud Olympia, Pancratio, quòd neminem parem, cum quo congrederentur, invenissent, cedentibus ob metum adversariis. Plinius etiam dicit, Dioxippum vicisse Olympia aconiti: Nemea verò coniti. Hic ætate fuit Alexandri M. mortemque sibi conscivit. Antiquus enim mos athletis erat, spargi priùs pulvere corpora. *Ovid. de Acheloi pugna.*

Inique fulvæ tactu flavescit arenæ.

Martialis:

—— *Et flavescit aphe.*

Agonothetarum Locus, Officium,
Spectatorum Locus, Applausus, Silentium.

Post Ludos.

Iudicium de Athletis.

Corona, Βραβεῖον.

Victores sacrorum ludorum Hieronicæ & Paradoxi appellabantur, quasi opinione & sorte hominum majores.

Convivia.

Pompa, Comitatus, Deductio, Triumphus, Statuæ. F

☞ *Vide Tit. Statuarum, Comitatus & Occursus honorifici, sub Fortuitis.*

LUDI OECONOMICI.

☞ *Ut domus Urbis pars est, ita Ludi Politicii iidem quoque Oeconomici esse possunt. Ex loco proinde Ludorum Politicorum quædam huc transferri possunt: Urbanitatis itidem & Scurrilitatis. Ludendo scilicet seria hucusque tractasse satis sit.*

Plut. l. 1. sympos. Problem. 1. non inscitè duo tradit esse eorum, quæ ad cœnas & convivia parantur, genera. Unum quidem est eorum, quæ sunt necessaria, ut sunt vinum, cibi, opsonia, vestes, stragulæ, mensæ, &c. Alterum est eorum, quæ sunt, ἐπιτηδεύματα τῆς ἡδονῆς ἕνεκα, id est, voluptatis gratia introducta, ut sunt ἀκροάματα, θεάματα, γελωτοποιοί, auditu jucunda, spectacula, mimi, histriones, quibus ut præsentibus delectantur convivæ, ita absentibus citra molestiam carent, neque convivium eo nomine tanquam imperfectum culpant. Ludi à nonnullis ita dividuntur, ut alii dicantur consistere in dictis, sive verbis, hique ad aurium delectationem pertinent, ἀκροάματα, joci: alii in factis, sive gestibus, ludique propriè dicuntur, & meo judicio θεάματα spectacula, quandoquidem sunt oculorum oblectamenta. *Gulielm. Stuckius l. 3. Antiq. Convival. c. 22.*

Romæ moris fuisse dicit Plutarchus, ut Platonis Dialogi, qui rem fictam & fabulosam tractant, in cœnis, animi ludique causa, agerentur: quos pueri facillimos ediscebant, ut memoriter recitarent, simulque actionem adhiberent personarum argumenti moribus congruentem, vocem scilicet conformarent, gestus & affectiones verbis consentaneas reprimerent. Talia, dicebat, viros graves & probos mirum in modum probavisse: effœminatos verò, & quibus insitia, & rusticitate delibutæ erant aures, quos dicit Aristoxenus bilem vomitione rejicere, explosisse. *Lib. 7. Conviv. q. 8.*

ANTONIUS HELIOGABALUS gladiatores ante convivium pugnantes sibi frequenter exhibuit. Stravit sibi triclinium in summo lusorio. Et dum pranderet, noxios & venationes sibi exhibuit. Idem quadrigas Circensium in tricliniis, & in porticibus sibi semper exhibuit pranfitans, & cœnitans, convivas omnes agitare cogens, nonnullos honora-H tos jam Imperatori. *Lamprid.*

AUGUSTUS Cæsar aleæ rumorem nullo modo expavit, lusitque simpliciter, & palàm oblectamenti causa, etiam senex, ac præterquàm Decembri mense, aliis quoque festis, professisque diebus; nec id dubium est, autographa quadam epistola: Cœnavi, ait, mi Tiberi, cum iisdem. Accesserunt Vinitius & Silius pater. Inter cœnam lusimus γερουτικῶς, & heri & hodie. Talis enim jactatis, ut quisque canem, aut senionem miserat, in singulos denarios in medium conferebat, quos tollebat universos, qui Venerem jecerit. *Hæc Suet.* Quorum verborum vim, & usum doctè explicat Philippus Beroaldus. Aliis diebus lusisse ait Augustum, præterquàm Decembri: quo, teste Macrobio, propter Saturnalia illicita erat alea. Cur verò γερουτικῶς, senili modo? Quoniam talorum & tesserarum lusio senilis est, dicente apud Ciceronem Catone: Nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquant & tesseras. Interea jactabant talos, tam manu, quàm orca, seu fritillo, in tabulam aleatoriam, unde jactus diversi sequebantur: vel damnosus, qui Canis, κύων,

A κύων, undè à Persio damnosa canicula, & damnosi canes vocantur: & Senio à senario dictus, quamvis hic nonnunquam lucrosus sit, ut propterea à Persio dexter dicatur, vel felix, qui Veneris nomen obtinuit. Eum intellexit *Horat.* inquiens:

Quem Venus arbitrum dicet bibendi.

AUGUSTUS Cæsar spectavit studiosissimè pugiles, & maximè Latinos: non legitimos atque ordinarios modò, quos etiam committere cum Græcis solebat; sed & catervarios oppidanos inter angustias vicorum pugnantes temerè, ac sine arte. Universum denique genus operas aliquas publico spectaculo præbentium, etiam cura sua dignatus est. Athletis & conservavit privilegia, & ampliavit. Gladiatores sine missione edi prohibuit. Coercitionem in histriones, Magistratibus in omni tempore & loco lege vetere permissam, ademit, præterquàm ludos & scenam: nec tamen eò minùs aut xysticorum certationes, aut gladiatorum pugnas severissimè semper exegit. Trojæ ludum edidit frequentissimè, magnorum, minorum ve puerorum delectu: prisci, decorique moris existimans, claræ stirpis indolem sic noresc ere. In hoc ludicro Cajum Nonium Asprenatem lapsu debilitatum, aureo torque donavit: passusque est B ipsum posteà sæpe Torquati ferre cognomen. Mox finem fecit talia edendi, Asinio Pollione oratore graviter invidioséque in curia questo Assernini nepotis sui casum, qui & ipse crus effregerat. Circenses ex amicorum fere libertorumque cœnaculis spectabat, interdum è pulvinari. Et quidem cum conjuge ac liberis sedens, spectaculo plurimas horas, aliquando totos dies aderat: petita venia, commendatisque, qui suam vicem præsidendo sungerentur. Verùm quoties adesset, nihil præterea agebat: seu vitandi rumoris causa, quo patrem Cæsarem vulgò reprehensum commemorabat, quòd inter spectandum, epistolis libellisque legendis ac rescribendis vacaret; seu studio spectandi, ac voluptate, qua teneri se neque dissimulavit unquam, & sæpè ingenuè professus est. *Sueton.*

ALEXANDER Mammeæ non scenicis voluptatibus super cœna capiebatur, sed coturnicum certaminibus, & gallinaceorum, aut cauli & porcelli. Oblectabatur & palumborum frequentia, ut xx. millia uno tempore habuisse dicatur. *Sabellicus lib. 6. Enn. 7.*

PHILIPPUS Vicecomes, incolumi adhuc oculorum lumine præditus, mitificè adolescentium ludis oblectatus fuit. Despectabat enim libentissimè adolescentium pila ludentium, aut luctantium certamina, obductо ad fenestram speculari, ut ludentes eum spectare nescirent, cùm tamen adesse crederentur. Inde enim eorum formæ decus, explicatos artus, animique vigorem inspicere, & quos ex ejus exercitationis indole maximè probasset, ad mensæ cubiculique ministeria deligere erat solitus. *Iovius in Philippo.*

INHONESTOS, INDECOROS,

INOFFICIOSOS, NUGACES, MIMOS ODIT, negligit, contemnit.

ACROAMATA.

AGESILAUS, cùm invitaretur ad audiendum eum, qui vocem lusciniæ referebat: Ipsam, inquit, audivi frequenter. *Plut. in Apoph.*

SALTATIONEM.

D MINYADES, Leucippe, Arsippe & Alcithoe (cum aliæ omnes mulieres ac virgines furore quodam insano saltarent in Bacchi laudem) hæ solæ choream detrectasse dicuntur: eam nimirùm ob causam, quòd maritos ambirent. *Ælianus lib. 3. de Var. histor.*

FRIDER. III. Imp. dicere solebat, febricitare se malle quàm saltare. *Æneas Sylv. lib. 1. Comm. in Panorm.*

LUDUM, ALEAM.

Cic. lib. 2. Epist. ad Attic. 20. de seipso ait: Volo ames constantiam meam: ludos Antii spectare non placet. Est enim ὑποκλοπικὸν, cùm velim vitare omnium deliciarum suspicionem, repentè ἀναφανδὸν non solùm delicatè, sed etiam inepte peregrinantem.

Japonii omne genus aleæ, ut furtum, aversantur. *Ioannes Metellus.*

☞ *Pete ex Loco de Alea pleraque.*

Ludicra Eutrapelia.

E

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

LUdicra vocantur res quæcumque joculares, & non seriæ. ἄθυμα, παίγνιον Græcè, & παιγνιώδης ludicer, jocularis. Hinc ars ludicra, quæ est histrionia. Lege autem XII. Tabul. cautum erat, ne in quatuordecim gradibus sederet, qui artem ludicram fecisset.

Cetcrùm cùm omnes motus gestusque externi, vel seriò fiant, vel ludi jocive causa, in utrisque moderatio adhiberi potest, quæ ad virtutem modestiæ pertinere dignoscitur. Tamen ut sit distinctio inter eam modestiam, quæ est in ludicris, & illam quæ est in seriis, hæc proprio nomine vocari potest εὐτράπελοι, quasi εὔτροποι, ut ait *Aristot. lib. 4. Ethicor. c. 8.* id est, flexibili ac versatili ingenio: quia dicta & facta quædam dextrè ad recreationem animi convertere norunt.

Est igitur Eutrapelia species modestiæ. Unde definiri potest, ut sit modestia in ludicris: Vel hoc modo: Eutrapelia est virtus, quæ ludis & jocis rationis modum imponit. Aliter hoc F nomine utitur Apostolus *ad Ephes. 5.* nimirùm pro scurrilitate; facilis enim in jocis ad scurrilitatem lapsus.

* EUTRAPELIÆ MATERIA, ET FORMA.

Materia hujus virtutis sunt actiones ludicræ, sive in factis, sive in dictis: sunt enim istæ actiones liberæ, ut constat, & per se non sunt illicitæ, sed indifferentes; ac proindè capaces ordinis recti vel pravi, à ratione imponendi, in quo ratio virtutis & vitii consistit.

Forma quam hæc virtus ludo inserit, est congruentia ad personam ludentem, tum in se spectatam, nimirùm ut ejus dignitati non repugnet; tum in ordine ad alios, & ad locum, tempus ac negotium præsens. Facit enim, ut ludus sit congruens personæ cum istis circumstantiis spectatæ: sicut modestia reliquos motus & gestus convenienter personæ disponit.

. * QUÆ CAVENDA CIRCA ISTA.

Tria hìc cavenda monet *Lessius lib. 4. cap. 4. dub. 14. n. 96.* G *de Justit. & Jure.* Primò, ut absit omnis injuria, obscœnitas & illiberalitas.

Secundò, ne nimis in ludicra simus profusi. Ita *Cicero*: Ipsum genus jocandi non profusum, nec immodestum, sed ingenuum & facetum esse debet.

Tertiò, ne ista adhibeantur in rebus sacris, v. g. in concionibus; neque per sacra exerceantur, quod juxta *D. Thomam* innuit *S. Ambrosius lib. 1. offic. cap. 23.* Nam licèt interdum honesta joca ac suavia sint, tamen ab Ecclesiastica abhorrent regula. ☞ *Quære locum de Concione & Loco.*

* USUS LICITUS.

☞ *Vide Locum de Loco.*

LUDICRA TRACTARE.

☞ *Vide* Exercitatio.

☞ *Homo ad agendum natus, ne ludendo quidem ab actione immunis esse potest. Duplex ergo negotium perpenditur: alterum quod tanquam serium vitat, & eatenus otiari dici-* H *tur, & ad Otii locum referri meretur: alterum verò, quod tanquam ludicrum sectatur, & eatenus inter Negotiosos hoc loco censetur.*

RERUM, SIVE INSTRUMENTORUM, QUIBUS luditur, ratione habita.

Sic solemus LUDERE v. g.

Digitis.

Digitis sortiri, veterum ludus, quum duo clausis manibus, vocando certum numerum, subindè digitos porrigunt. Verbi causa, ego tres digitos explico, tu totidem: ipse quatuor nomino, tu verò sex: ita tu qui numerum vocando divinasti, jam vicisti. Et quia digiti ita explicati subitò apparent, idcircò per metaphoram, Micare digitis dicitur. Varro: Micandum erit cum Græco, utrum ego illius numerum, an ille meum sequatur. Italis ludus notus est, vulgòque *La mora* appellatur, quasi μοῖρα, id est, sultorum ludus, quòd digitorum jactatio signum sit levitatis: ideò virum gravem micare non decet. An potiùs quòd Maurorum hìc sit ludus. *Polidor. lib. 2. c. 13. de Rerum Invent.* Ludunt hoc ludo apud Nonnum *lib. 33.* Hymeneus & Cupido.